

blandiuntur fanatici, somnia manifeste rejiciuntur, Jer. XXIII, 28. Cæterum acutissimi quidam hujus devotionis hyperbiblicæ æstimatores somnia prorsus excludunt ab exercitio matæologix suæ; & tamen vigilando plusculum somniare non intermittunt. **SOMNVM** sive Soporem potentiarum animæ dictitant, in iis inveniri, qui per introversionem in semetipsos, per abstractionem mentis ab omni lectione & meditatione, & per abrenunciationem atque exudationem omnis eruditionis, quiete & silentio sacro Teresix perfruantur. **SOPHIA** Gottfr. Arnoldo Sponsa Cantici Canticorum; aliis Sapientia personalis extra Deum supremum; aliis æterna **JESU CHRISTI** Humanitas; der Krafft-Leib Gottes / durch welchen die Gottheit wircket und schaffet / die ewige Jungfrau und Himmlische Sophia. Cujus delirii recitatio est ipsa ejusdem confutatio. **SPIRITUS** multijugus & multifidus Spiritualium Fratrum; jam nudus & imaginibus vacuus, jam universalis naturæ, exhalans ex Deo, jam spiritus mundi; dieser soll aus Gott und Gottes ausgesprochenes Wort seyn; jam alia nescio quæ res, aut Chimæra. **SUI IPSIUS AMISSIO RUSBROCHIANA** est septimus gradus amoris, quo beatitas in seipsa est, in ignota & modi nescia caligine. **SUPERRATIONALIS VOLUNTAS**, culmen mentis, intellectus purissimus; quandoquidem Visionistæ voluntatem in intellectum transformant, quippe id negotii sibi dari credentes, ut per notabilem *ἐαυτομαχίαν* omnia in semet ipsis turbent atq; commisceant. **SUSPENSIO** derivatur ex interiore illa & suprema resignatione, per quam spiritus omnino in Deum immergitur, & anima deperditur tota. **SUSURRUS MYSTICUS**, convenit cum locutione Mystica, dem lieblichen Gausen / dem Wörtlein aus der Ewigkeit / quod audientes Beguardorum & Beguinorum æmuli ad perfectionem toti orbi admirandam atque suspiciendam sese pertigisse arbitrantur. Vide de his *Binium & Caranzam in Concil. Vienn. ad annum 1311.*

T.

TENEBRÆ SUBSTANTIALES ET MATERIALES LUCI
OP.